



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## Universitätsbibliothek Paderborn

### **Viator Christianvs Recta Ac Regia in coelum Via tendens**

Soliloquium Animæ. Vallis Liliorum. De Tribus Tabernaculis. Gemitus & suspiria animæ pœnitentis, seu de Vera Compunctione Cordis. Cohortatio ad Spiritualem profectum

**Thomas <von Kempen>**

**Coloniae Agrippinae, 1682**

XIII. Patientia præcipuè exercenda in mortificatione propriæ voluntatis.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-53320](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-53320)



scus quomodo quis putatur, nisi quem carnis lascivia vincere non potuit? Pudicitiae amator ostenditur, qui cum Joseph casto juvene contra visus suadentis foeminae luctatur.

CAP. XIII. *Patientia praecipue exercenda in mortificatione propria voluntatis.*

**O**bediens verus etiam probatur, qui propriis voluntatibus contraire nititur. Et hic cum fidei Abraham, pro obedientiae virtute laudabitur; & benedictione caelesti replebitur, quia magis obedit voci Dei, quam voci carnis suae, quae semper propriis motibus agitatur.

De propria voluntate quid dicam? Ipsa est, quam maxime odit anima mea. Non est mihi quicquam acceptum, quod voluntate propria fuerit vitiatum. Parva & magna simul maculat bona, quemadmodum vera obedientia cuncta facit esse incorrupta.

Agat bonum aliquis ex propria voluntate, & minus erit;

Voluntas propria corrupta omnia.

Obedientiae pul-



chr̄a  
commen-  
datio.

760 DE TRIBUS

iam nonnunquam culpabile. Dimitte ex obedientia bonum, & fiet majus. Crevit enim usque ad contemptum sui, & pervenit ad Jesum filium Dei, & exemplum obedientiae ejus.

Quam paucos ego invenio, qui hoc obedientiae fulgent exemplo? Unusquisque quod illi bonum videtur, libenter agit, propterea saepe errat.

Scitote filii obedientiae, quia malum agere nunquam licet; bonum autem propter obedientiam quandoque intermittere, ad perfectum vos ducit.

Sicut enim perfecta charitas seipsam non quaerit, sic vera obedientia extra videre proprium semper tendit.

Mihi obeditis, cum praepositis vestris subjacetis. Mihi vivitis, dum vos immolatis. Ego vos vivificavi, ego pro vobis occisus fui; & vos mecum vivetis, si comortui fueritis.

Mortificate filii mei, mortificate proprias voluntates, proprium videre, proprium consilium, & omne parvum & carnale desiderium.

Occi-



Occidite inimicos istos, alioquin ipsi occident vos. Erunt vobis fudes in oculis, lancea in latere, serpens in via, & ursa in semita, si non occideritis eos.

Mortificatio  
proprie  
voluntatis  
quam  
necessaria.

Non sinent vos dormire in lectulo pacificæ conscientie, & pacem auferent de corde terræ vestræ; quia isti sunt, qui conturbant Israel; hoc est, fidelem animam, Deum videre cupientem. Admonui vos. Videte igitur, quomodo caute ambuletis, quoniam dies mali sunt, & abstinete ab omni specie mala.

*Ephes. s.*

CAP. XIV. De exemplis Prophetarum & Martyrum, quibus docetur patientia.

**P**roposui vobis Patriarchas: & si parum est, adducam Prophetas, quoniam ipsi tribulationes multas experti sunt in hoc seculo nequam.

Primus dicit: *Tribulationem Psal. 114.*  
& dolorem inveni, & nomen Domini invocavi. *Tribulatio & Psal. 118.*  
angustia invenerunt me, mandata tua non sum oblitus. *Multa Psal. 33.*